DE

N° 174.

# PERITONITIDE.

## DISSERTATIO PUBLICA

IN FACULTATE MEDICA PARISIENSI

(MENSIS AUGUSTI DIE NONA, ANNO 1831)

A

CL.-FR.-ALEXANDRO GUERRIN, Vesulii,

Præfecturâ Araris-Altæ,

Chirurgo laureato nosocomiorum militarium; Parisiensis Scholæ practicæ Professorum in operando Coadjutore, et rei anatomicæ Prosectore.

*Rem tentare pudor quam vires ferre recusent.*

HORAT.

*Optatam si non detur contingere metam,*
*Ne tamen, indulgens lector, contemne labores.*

PARISIIS,

EX TYPIS DIDOT JUNIORIS,

FACULTATIS MEDICÆ PARISIENSIS TYPOGRAPHI,

Viâ dictâ DES MAÇONS-SORBONNE, n°. 13.

1831.

# FACULTAS MEDICA PARISINA.

## *Professores.*

| Domini | Domini |
|---|---|
| ORFILA, Decanus. | |
| ADELON. | DUMÉRIL. |
| ALIBERT. | DUPUYTREN. |
| ANDRAL. | FOUQUIER. |
| BÉRARD. | LEROUX. |
| BOYER. | MARJOLIN. |
| BROUSSAIS, *Præses.* | MOREAU. |
| CRUVEILHIER. | PELLETAN, *Examinator.* |
| CHOMEL. | ORFILA, *Vicarius.* |
| CLOQUET. | RICHARD, *Examinator.* |
| DEYEUX. | RICHERAND. |
| DES GENETTES, *Examinator.* | ROUX. |
| DUBOIS. | |

## *Honorarii Professores.*

| | |
|---|---|
| DE JUSSIEU. | LALLEMENT. |

## *Ad explendas Professorum vices adscripti.*

| | |
|---|---|
| BAUDELOCQUE. | DUBOIS. |
| BAYLE. | GERDY, *Vicarius.* |
| BLANDIN. | GIBERT. |
| BOUILLAUD. | HATIN. |
| BOUVIER. | LISFRANC. |
| BRIQUET. | MARTIN-SOLON. |
| BRONGNIART. | PIORRY, *Examinator.* |
| COTTEREAU. | ROCHOUX, *Examinator.* |
| DANCE. | SANDRAS. |
| DEVERGIE. | TROUSSEAU. |
| DUBLED. | VELPEAU. |

---

Nono decembris mensis die, anno 1798, Scholæ medicæ Professores opiniones in dissertationibus exhibitis emissas auctoribus proprias habendas esse, et illas à se nec approbari nec improbari, statuerunt.

# PATRI.

*Mortis te, Genitor, perpetuus sopor*
*Pressit! Cui Pudor, et Justitiæ soror*
*Incorrupta Fides, nudaque Veritas,*
*Quandò ullum invenient parem?*

*Multis ille bonis flebilis occidit;*
*Nulli flebilior quàm mihi filio.*
*Te frustrà pius, heu! non ità creditum,*
*Poscam benignum Deum:*

*Immotusque Deus fata recludere,*
*Non vanæ tribuet sanguinem imagini.*
*Durum: sed levius fit, sedibus tuum*
*Lætis spiritum cernere.*

# MATRI.

*Tu semper urges flebilibus modis*
*Conjugem ademptum. Nec tibi, Vespero*
*Surgente, decedunt amores,*
*Nec rapidum fugiente solem;*
*Nam, Mater peramans, nostrûm cui cura recessit,*
*Afflictis pueris tua virtus pectora firmat.*

REVERENTIÆ SIGNUM.

C.-F.-A. GUERRIN.

# FRATRIBUS ET SORORIBUS.

*Vivitis indigni fraternum rumpere fœdus,*
*Mirandi pietate, bonum justumque colentes.*

## FR. SALLOT,

Doctori Medico,

ET

## H. LARREY,

Chirurgo eruditissimo.

*Complaceam clarisque probisque fidelis amicis,*
*Grati animi tantis meritis hæc pignora dando!*

ÆTERNUM AMORIS MONUMENTUM.

C.-F.-A. GUERRIN.

*Vestram*, ORNATISSIMI PROFESSORES *et* JUDICES, *quæsitam meritis desumite superbiam, et placido vultu nascentem sermonem meum non periturum accipite. Primas, arduæ do manus scientiæ. Supplex oro quòd si quid liberiùs dixero, hoc detis mihi cum veniâ juris : quòd si, propter incerti temporis res improvisas, interdùm fallacia verba mea forent, illis arridentes, hæc, qualiacumque sint, indulgenter diluatis; nam doliturus ego si placeatis spe deteriùs meâ. Nil possunt sine vobis labores mei, et quod scribo vestrum est : nec ego tam ausus ut vestris multâ cum laude capitibus hærentem coronam subtraxerim. Felicem tantùm me, si ex infrà dicendis suffragia obtineam ! Indè vobis maximas agam gratias et præcipuas illustrissimo benevolentique Præsidi;* vis enim consilii expers mole suâ ruit, temperata autem provehitur in majus.

C.-F.-A. GUERRIN.

DE

# PERITONITIDE.

Non eruditionis nostræ, sed eorum gloriæ causâ qui primi peritonitidem observavêre, auctorum nomina narrabimus. Illi sunt præsertìm et ex ordine temporum, *Fernel*, *Johnston*, *Walter*, *Pinel*, *Bichat*, *Gasc*, *Bayle*, *Laennec*, et doctores *Alibert*, *Broussais*, scholæ Parisiensis celeberrimi professores. Inter eos primi de naturâ et diagnosi peritonitidis, secundi de re pathologicâ hujus, tertii deniquè de causis et naturâ ejus eruditissimè annotata obtulerunt. Diversam habuerunt peritonitidem præcitati prout in homine vel in muliere, aut gravidâ aut laboriosâ, invenerunt eam, quam post partum præsertìm nomine *puerperalis febris* nonnulli salutaverunt. Hæc hodiernis medicis meritò non distinguenda apparet, quæ nobis varietas in sede et causis vix annotanda erit.

Peritonitis rara, cujus raræ opportunitates et causæ in serosâ absque medio agentes. Alioquin peritonæum cum aliis organis paucissimè consentit. Ad quasdam regiones tempestatesque frigidas, ad Hollandiam, verbi gratiâ, peritonitis pertinet. A doctore *Broussais*, his in regionibus quædam semper et eodem modo causæ apparent, et ab internis excitationibus in frigidis, contrà in æstuosis regionibus, peritonæi morbus accidit. Hæc verba veritatem præclarè denuntiant. In omni ætate et quolibet sexu, in mulieri et adulto præsertìm observatur peritonitis; apud infantulos rarò, nisi mesenteritidi juncta. Hujus indolem constituunt, et peracutus dolor abdominis, et vomi-

tus, et alvi suppressio. Adstat illa, vel pyretica vel apyretica, cum intermittente typo, sæpiùs cum continuo, si fides sit in observationibus doctoris *Dupré*.

Peritonæum, imperforati sacci instar, hæc est serosa tela in abdominis cavum propulsa, et in omnibus interstitiis extensa, quæ organa non continet, sed complectitur. Hic modò anteriores musculos tangit, illic laxiter circumvolvit viscera quibus inhæret et varias præbet duplicaturas. Hùc leve et perlucidum, illùc, scilicet in laterali parte, crassum et opacum existit. Ex duplici facie exterior tomentosa cum cellulosâ undiquè subjectâ connectitur strictè; interior verò levis et plana, nihilò adhærens, liquidâ et continuò abluitur lymphâ. De naturâ peritonæi dissentiunt anatomici. Alii vasa simul exhalantia, simul absorbantia, alii densam et cellulosam telam, permulti deniquè sanguinea et lymphatica vasa nervis adjuncta esse peritonæum existimant. Duæ peritonæo præcipuæ functiones allegantur : 1°. viscera separat et incarcerat, et quædam ampliora fieri juvat; 2°. liquorem lympheaceum exspirat et haurit, ità ut cutis consocium instituatur. Apud alios sanguinis propter digestionem receptaculum fieret. Ex incertâ peritonæi structurâ adhùc lis est, 1°. an lympha ab ipso peritonæo exhaletur, vel à cellulosâ subjacente? Hoc supposito, lympha serosam solùm permeret; 2°. an inflammatio sedeat in peritonæo, vel in cellulosâ? Remotâ hâc *Rudolphii* opinione, quamvis magna sit idearum vacillitas, peritonæo ipso propriam agnoscunt plerique inflammationem; et fides adhibenda doctori *Broussais*, qui in peritonæo ab omni sejuncto accuratisimè vasa sanguine regurgitantia oculis publicè obtulit.

Quibus præmissis, duplicem modum novimus pathologicum in peritonæo, inflammatorium scilicet, et irritatorium secretivum, undè hydrops evenit. Nervosus etiam modus reperitur et quidem nutritivus; omenti enim atrophia vel hypertrophia observata fuit, et in herniâ strangulatâ sicut in nervosâ colicâ nervoso modo excitatum credimus peritonæum. Ex dictis nec non eruditissimis annotationibus professoris *Broussais*, quintus in peritonæi morbo enumeratur mo-

dus, nomine *hæmorrhagicus*, qui peritonitidis alia varietas infrà habebitur.

Pathogenia (transitio de physiologiâ ad pathologiam), si vera, nos docet causas alterationum quærendas in actione vitali, in structurâ et in modo agendi corporum quibus ordinariò necne organa patiuntur. Isto duce, inveniuntur morbi causæ quas nominant vulgò *externas* et *internas*, quarumque de inspectu patebit cur serosarum quàm mucosarum membranarum rarior fiat inflammatio. Etenim illæ serosæ minùs sensibiles, et organorum parùm consolidariæ, seorsim ferè vivunt absque corporum externorum contactu, dùm in mucosis contrarium eveniat.

Opportunas easdem hùc inspiciemus ac internas peritonitidis causas, quæ hujus etiologiam minimè didiscunt, et quemlibet morbum procreant. Res præclarior infrà dictis. Nonne irritabilitas et mobilitas maxima, et frangibilitas textuum corporis variorum, sanguinis circuitûs superexcitatio, vitæ præcipitatio, abusus vel ætatis causâ, quoslibet morbos excitent? Et etiam muliebris sexus propter majorem nervorum susceptibilitatem? Risum vix teneretis profectò, si fictas tot entitates, vitia, virus, germina, humorem, diathesim, cachexias, sicut opportunas peritonitidis causas celebrare ausi fuerimus.

Igitur protocatharticæ peritonitidis causæ sunt enumerandæ internæ et externæ. Aliæ intùs et extrà corpus nascuntur cum agendi modo et mecanico et chimico : aliæ solitæ, aliæ insolitæ peritonæum excitant.

*Internæ causæ.* 1°. Internæ ab intimo corporis cum agendi modo mecanico et solito. — *Serositas.* An accumulata irritationem, an potiùs irritatio accumulatam serositatem antecedat et producat? Quarum opinionum, prioris doctor *Coste* fautor est, quia post mortem, et vivo quidem corpore, absque clinicis rationibus sat multa in peritonæo reperiatur serositas : posterioris doctor *Broussais*, qui serositatem irritationis semi-causam habet. — *Peritonæi frictus.* Motu peristaltico et antiperistaltico in vomitu stomachi, vermiculatione intestinorum,

cùm alvus sit suppressa, contractione parietis abdominalis ad onus sublevandum ingens sæpè peritonæum inflammatum fuit. Istis addemus, insolito tamen modo sed mecanico agentes in muliere, uteri auctionem, molam, subcutaneos abdominis abscessus, ovarii tumefactionem et splenis, ex febre intermittente vel ex curru et equo succussionibus repetitis. 2°. Internæ causæ ab intimo corpore cum agendi modo chimico sed insolito. Sic sunt *bilis* ex abscessu plagâque jecoris irrupta; *chilus*, *aer*, *fæces*, parvula et magna perforando pertranseuntes intestina; *sanguis*, ex utriusque naturæ vasis effusus; *urina*, ex cyste sectâ diffusa; *serositas* quidem ipsa, quandò diù accumulata, fit irritans. — *Externæ causæ* cum mecanico sæpissimè et insolito modo, rarò autem cum chimico peritonæum stimulant. *Ictus*, subitus corporis ad terram *projectus*, *vulnus* penetrans, *rhedæ*, *equi*, *oneris* cujuslibet in abdomine pressio continua peritonæi morbum pariunt. Cum chimico autem modo peritonitidem producunt emollientes et stimulantes liquores, quos audacissimi medici quidam post paracentesim ejusdem rationis causâ quâ in serosâ testiculi cavum abdominis injecerunt: aer qui, nisi caveat chirurgus, per triquetrum aspiratur. Sic illustrissimus ac tanto luctu desideratus rei anatomicæ prosector *Bichat* imposuit animalibus peritonitidem, quam accuratæ necnon peritæ subjecit observationi. — *Sympathicas causas* dicemus *mixtas* et tres præcipuas agnoscemus. 1°. Quæ structuræ similitudine eveniunt quorumdam organorum phlegmasiæ, scilicet: pleuritis, phrenitis, pericarditis et arthritis. Equidem illis phlogosibus aliquoties eò excitatur sensibilitas peritonæi, ut ipsi totum afferat morbum, qui primo loco effugerit. 2°. Propter functionum analogiam, peritonæum phlegmasiam sæpè desumit. Istius causæ sunt *frigus* subitò cutem constringens, *aquâ glaciali* corporis æstuantis immersio vel hujus in ventriculo ingestio, corpori inhærentes post abundantiam *pluviæ humidi vestitus*, corporis *pronatio* in *herbâ roratâ*, *rigor* in *febre*. Nonne tamen rigor febrilis in abdominis visceribus sanguinem repellat? Hoc probabile. 3°. Irritatur denique peritonæum cùm violenta præcipuorum abdominis organorum, ventriculi, jecoris, uteri, etc., phlogosis adsit. — *Insomnium*,

*studia* acerrima et nocturna, Veneris vel Bacchi *abusus*, *focus* ardens et abdomini sæpè obvius, nimiâ cum lætitiâ *partus*, aliæ peritonitidis causæ, ad prædictas mixtas pertinent.—*Repercussiones* menstruarum, et hæmorrhoidum vel aliarum emunditierum *corporis* assueti *suppressiones* nomine *communes causas* distinguemus, quibus adjungere velimus *cutitidem* alicujusve exanthematis *retrocessionem*.

Ex organorum aut in parte aut in toto modificationibus symptomata irrumpunt. Sed rarò corpus sanum ex abrupto ægrotat, at sæpiùs naturam debellans stimulus vitæ organa vitiat gradatim. Indè levia primùm nomine *prævia*, secundùm autem *graviora* sed *pathognomica*, *signa* accurrunt. In medio corpore frigus et rigor, anxietas magna et circumfusa, cardialgia et anormalis pulsus prævia peritonitidis signa citantur : hæc autem morbi cujuslibet prænuntia sunt. Qui post illa peritonitidem certam expectarent, adeò deciperentur quàm olim doctor audax quidam à solâ pulsûs præcipitatione et cutis calore variolam prædicans. Prudentis igitur medici tota remaneat fides in sequentibus.

*Pathognomica symptomata* alia localia, alia generalia. 1°. *Localia* sunt *dolor*, *calor*, *rubor* et *tumefactio*. Rubor obscurus, nàm in profundo abdominis reconditur peritonæum, post mortem solummodò cadaveris sectu indicatur. Dolor acutissimus evadit cujusdam partis vel totius abdominis pressione tactuve levissimo ingravescens, continuus vel remittens, tunc vespero imprimis apparens; calor acris, mordicans, major aut minor, loco dolenti inhærens, aliquoties nulla in circumscriptâ peritonitide, diffusam et hæmorrhagicam certè comitat peritonitidem. Tumefactio, quamvis non rara, aliquandò tamèn haud tactu percipienda : ratio hujus erit quòd serosa absque subjectæ cellulosæ phlogosi non turgescat. Quandòque aëre, fæcibus aut mucosâ materiâ peritonæum distenditur, tunc ventris inflatio, quæ quidem sæpissimè aberranti fame puerperis accidit copiosa fercula ventriculo ingurgitantibus. 2°. *Generalia*. Horum duplex ordo, prout in vicinis vel in remotis organis sedeant. Semper è multò majus nervosis partibus graviora symptomata oriuntur. In primis enumerantur

gastritidis *vomitus* biliosi cum *singultu*, enteritidis *constipatio* aut *diarrhœa* cum tenesmo necne, nephritidis *urinæ crassæ* aut *rubræ*, etc. Constipatio à duobus evenit; quia primò, dejectâ suprà bili, intestinis siccata manent stercora; quia secundò, dolore peracuto abdominis cerebri perceptiones imminuantur, et indè vermiculares intestinorum substrahuntur motus. Hîc duo resolvenda : 1°. an vomitus et singultus inflammationem gastrici et diaphragmatici peritonæi indicent? 2°. An abortus, menstruarum lochiarumve suppressio, et earum putrida depravatio, phlogosim uterarii peritonæi denuntiant? Ilæc dictarum peritonæi partium læsiones non necessariò declarant. Simùl ac crescit morbus, secunda generalium symptomata evadunt : in nervoso et musculari apparatu, *anxietas* magna, *contristata* et *prælonga facies*, *delirium* et *torpor;* in pulmonali, propter ventris dolorem, *laboriosa* aut impedita *respiratio;* in circulatorio demùm apparatu, *pulsus* aliquoties *promptus* et semper aut *strictus* aut *exiguus* et *depressus*, quandòque *inæqualis* et *anomalus*. Cutis refrigescit in extremis membris, præsertìm in inferioribus, quæ ab ægro flectuntur doloris non evomendi causâ. In hæmorrhagicâ varietate dolor peracutissimus est, anxietas violentissima et intermittens, et citò superveniunt hæmorrhagiæ signa, quæ, si cum calore fervido, gangrænam potiùs demonstrant.

Lethalem peritonitidem existimant si viginti post dies non sanetur. Nihil verò fatale reperitur nec in tempore nec in cursu peritonitidis, utraque varia. Sanguinis expansi acritas et abundantia si minimæ essent, nec esset lethalis hæmorrhagicus modus; separatâ et concretâ enim fibrinâ, lympham adspiraret peritonæum. Erraret medicus qui successionem symptomatum ut ducem diagnosis haberet; diversa quippè organorum alteratio pro diversis excitationibus, diversa tandem viscerum irritabilitas. Indè impossibilis fieret sanatio peritonitidis, si post signorum omnium incursum perfectum clarumque illa tantummodò adhiberetur. Quàpropter peritonitis breve vel longum post tempus lethalis et curabilis incertò erit. Si lethalis promptè, omnia ventris graviora signa concurrent, faciesque astricta, corporis

depressio vel convulsio, sitis adurens, suffocatio, et mors. Variæ aliæ peritonitidis fines. 1°. *Resolutio*, si levia sint symptomata, et ægrotus fuerit anteà integer. Hanc fieri docent symptomatum remissio vel cessatio cum quibusdam excretionibus criticis levantibus, quæ à quintâ ad decimam diem manifestari dicunt. 2°. *Suppuratio*, quam prænuntiant morbi ultrà octavam nonamve diem protractio, partis affectæ pondus, horripilatio, pulsus febrilis, mollis, hecticus; undè ascites purulenta vulgò lethalis. Pus undè venit? An à serosâ membranâ fabricante, an à lymphâ decompositâ, an demùm ab erodato peritonæo? Tertia probabilior est opinio, et etiam ex observatione nostrâ constat pus in cellulosâ fabricatum serosam pertransiisse. 3°. *Gangræna*, quam factam significant subita doloris remissio, frigus subitum post vehementem æstum, pulsus debilis, intermittens, facies prostrata, terrea, aut ex viridi flava. Caveat medicus ne ipsum nimis credulum remissus dolor fefellat, et percipientis cerebri somnus. 4°. *Mutatio in chronicam*, quæ metuenda est si morbus ultrà quàm par est cum ascite modò, modò sine ascite perseveret. Ascites infrà descripta non semper lethalis; peritonitis verò chronica sed non ascitica mortem dat indubiam cum intestinorum accretione, et corporis macie, et consumptione. Ex suprà dictis igitur hæc surgit conclusio : mors post suppurationem prompta, post hæmorrhagiam promptior, promptissimaque post gangrænam accidit.

*Chronicæ peritonitidis* eædem sunt quæ acutioris causæ, sed lentè et leviùs eam producunt. Symptomata sunt obscuriora. Etenim dolor sub pressione solâ, et gressûs saltûsque motu, surgit; desunt vomitus et digestionis labor; febris rarior, nisi quandòque sub vespero cum cutis calore parvulo.

Tres sunt chronicæ peritonitidis varietates : *simplex, ascitica*, et *tuberculosa*. Ex his auctores intempestivè separaverunt hydropem ascitem, et adultorum infantulorumve mesentericum tabem. Illæ tres peritonitidis formæ acutam sequi aut acutæ præesse possunt. 1°. Varietatis eadem ferè sunt ac acutæ symptomata paulòminùs intensa, sæpiùsque localia quàm generalia. Corporis ab intestinis ad guttur

ascendentis sensatio à doctore *Broussais* hujus indoles creditur. Tunc vespertina febris constipatio, longa, nausea et digestionum anxietas. 2ª. Ægri in dorso recubantis ventris tumore uniformi indicatur. Obscura hæc incipiens hypogastrio plerumquè certissima fluctuatione manui percutienti redditur. In eâ generalia plusquàm localia symptomata observantur, scilicet : dyspnœa vel orthopnœa et suffocatio propter depressos pulmones ; diaphragma enim, liquido ventris, in pectore sursùm elevatur. Sitis ægri magna ventriculum ptisannis implendo respirationis laborem accrescit. Modò macies, œdema, etc., mortis cohors, irruunt. 3ª. Agglomeratione tuberculorum constituta, pondus, anxietatem sæpiùs ac dolorem parturit. Parva ventris tensio, tumor inæqualis undiquè in abdomine toto sentitur, et sua æger linteo intestina crederet involuta. Finis hujus endemicæ infantulisque et mulieribus propriæ, consumptio. Tubercula in vasis chylosis tumefacta nutritioni obstant. Febris in hâc rarò continua, nisi mors eveniat, quod frequentius.

Cum variis permultisque morbis, prout acuta vel chronica emineat, permiscetur peritonitis. Causæ et symptomata ritè explorata acutæ naturam elucidant. Hujus diagnosis præsertìm doloris sede, pulsûs depressione, faciei collapsu et retractione deducitur. Attamen deceptum aspiceremus illum qui nescius gastro-enteritidis eò esset, ut dolor hujus extensior et profundior, renitentia ventris major, vomitus rarior quàm in peritonitide sibi non consistant ; linguaque lanceolata, rubra vel flava utrâ vel alterâ parte, et motus non minùs difficiles. Erraret etiam qui dolorem peracutissimum et quasi fulminantem tàm perforationis subitæ, quàm herniæ internæ et colitidis ; qui dolorem obscurum et gravativum hepatidis cum tumore hypochondriæ dexteræ et ictero, cum stercoris decoloratis, et pulsu pleno ; qui tumorem metritidis cum calore, et ulceratione colli uterarii, cum suspensione lochiarum aut menstruarum, et plerumquè vaginæ purulentâ sanie ; qui nephritidis et renum vel ureterum calculorum dolorem laciniantem et perterebrantem cum urinâ sanguineâ vel granulosâ ; qui tandem cystitidis febrem ardentem cum dysu-

riâ, etc., ignoraret. At chronicæ peritonitidis difficilior videbitur diagnosis in sequentibus.

Cutis et siccata et furfuracea ad ventrem, dolor pressione minùs exacerbatus, constipatio nulla, rubor linguæ, hæc sola sunt signa quibus à peritonitide enteritis chronica distinguatur. In colicâ nervosâ dolor pressione mitigatus, febris nulla, ventris retractio, et constipatio insuperabilis. In cancro intestinorum ab antecedentibus, et ab ægri constitutione solvitur discrimen. In hysteriâ globulus ab utero sursùm ad ventriculum primùm, deinque ad cervicalem regionem volvendo ascendit : indè convulsio et suffocatio. Ascitica forma confunditur cum tympanite, cum utero gravido, cum ascite saccis multiplice subcutaneâ vel ovariariâ, demùm cum hydrometridide et variis in utero pathologicis productionibus, et etiam cum elephantiasi. Tuberculosa forma à tabe mesentericâ glandularum inæqualitate et induratione separatur.

Ità viscerum cujusque corporis cavi inflammationes complicat peritonitis, ità ab ipsis complicari potest. Phrenitis, ex observationibus doctoris *Gasc*, sæpissimè peritonitidi, propter maximum morbi dolorem in cerebro resonantem, jungitur. Pleuritis peritonitidem concomitat propter textûs similitudinem, ex immortali *Bichat*, qui diffusam hanc peritonitidem appellabat. Hic error apud medicos si diaphragmatis morbum non discernant, et pleuræ subdiaphragmaticæ inflammationem : in priori casu risus et singultus, in posteriori verò tussis et expuitio diagnosim elucidant. Carditis rara peritonitidis complicatio : attamen à paucis diebus, militis cadaverem secando, et cordis et peritonæi simul inflammatas serosas vidimus. In puerperis metritis et phlegmasia alba aliæque corporis phlogoses concurrunt : præcipuas dixisse nobis sufficiat.

Cùm ipsa lethalis fuerit peritonitis, hæc inspicienda sunt quæ sequuntur, si secta cadavera ab attentis anatomicisque medicis effodiantur et perlustrentur. 1°. Peritonitidis acutæ *ruborem* in serosâ demonstravit *Bichat* herniam strangulatam præsecans. Punctis sparsus minutissimis, passìm aut latè diffusus ille apparet rubor cujus

in cellulosâ sedem arbitrabatur *Rudolphius*. Contrarium affirmat doctor *Broussais* qui ex serosâ ab omni disjunctâ sanguineam rorem per pressionem obtinuit. *Liquefactio* et *densitas* serosæ observantur, quarum posterior non rara et sæpè levis, si pseudo-membranis induatur serosa, prior verò si lymphâ aut suppuratione abluatur. *Pseudo-membranæ* vim accipientes à naturâ, in *frenula* transformantur, præsertìm in peritonitide recrudescenti et antè mortem vel curationem prælongâ. Hæc frenicula ad viscera motu difficilia, ad jecus, verbi gratiâ, attinent. In peritonæo *liquores* crassi et limpidi cum *floccis* purulentæ lacteæque *materiæ* effunduntur. *Pus* lymphæ junctum difficillimè agnoscitur, quod faciliùs cùm à gangrænâ descendat. *Escarra gangrænæ* plus minùsve extensa, et colore varia ab interno ad externum viam tendit; sed contrarii fuit exemplum in vulnere ex cornubus tauri proficiente. *Lividitas*, violentissimæ phlogosis indoles, haud gangrænæ assimilari debet. *Emphysema* et *ædema* totius cellulosæ peritonæo subjacentis telæ observavit doctor *Scouttetten*. Citantur *sanguinis* aliarumque ex naturâ *materiarum effusiones* colore variæ, prout eas permaxima phlogosis, et intestinorum vasorumve vulnus inferant. *Ossificationis* in serosâ vix credendum exemplis, quæ tamen auctores monstrant. 2°. Peritonitidis chronicæ, A. *rubor* in formâ simplici rarissimus, frequens autem *pseudo-membrana*, *densitas* in cellulosâ frequentior, sed rara in peritonæo. Densitatem enim omninò pseudo-membranâ productam indicant professores *Chomel* et *Dupuytren*. Attamen densum et lardaceum secuit epiploon doctor *Scouttetten*. *Intestina* viscosâ, crassâ et gelatinosâ materie implicata observavit idem doctor. B. In formâ asciticâ *rubor* si absit, id quàpropter nonnulli habent medici ascitem nihil aliud esse quàm peritonæi functionis activitatem, ne inflammatoriam quidem, et suppressâ cutis exhalatione abortam. Quodcumque fuerit, effusa in abdominis cavo *aqua* est *abundantiâ varia*, *limpida*, *purulenta saniosa*, *carnium loturæ similis*, *albida*, *flava*, *cerulea*, *viridis*, *nigra*, *putris*, *fœtida*, *citrea*. In illâ nantes *floccos* vel *hydatides*, absque illâ *adulteratam glandularum fabricam*, *viscera macerata*, *ulcerata*,

*sphacelove corrupta* dat cadaveris intuitus. Quandoquè *corpuscula* pseudo-membranæ exiguæ peritonæo inhærent, et tubercula simulant : hunc errorem refellit *Bayle*, qui scalpro serosam denudans ea supposita tubercula sustulit nihilo serosæ propria. *Hydatides sparsæ* et *inhærentes sæpiùsque sacculis incarceratæ* apparent ; earum, corpore vivo, hæc symptomata fuerunt : *tumor inæqualis* absque fluctuatione, *cutis* abdominalis *vermicularis astrictio* si frigida manus aut corpus aliud glaciale in eâ apponantur (*Larrey*). *Gas fœtidum* peritonæo secto erupit sæpè, imprimìs si repentina perforatio intestinorum : cæterùm aerem in peritonæo contineri constat, et experientiæ effectum agnoverit qui subitò cum cutello vivi canis abdomen perforaverit. C. In formâ tuberculosâ, his quas diximus in acutâ peritonitide existere serosæ alterationibus adjunguntur *tubercula*. Non solùm abdominis parietibus sed intestinis etiam adhærent tubercula, à glandularum tumore discernenda, et de propriâ formâ vel *plana*, vel *pediculosa*, aut *agglomerata*, aut *separata;* de numero et volumine *varia;* de adulteratione tandem *cruda* et *dura*, *mollia* et *suppurata*. Quæ in tomento solùm in quâdam circumscriptâ peritonæi parte agnovit jàm citatus doctor *Scouttetten*. Undiquè *dispersa ea*, serosam lividam mentiuntur oculis; exemplum unum est in collectione anatomicâ Parisiensis Scholæ. Nunc si requiras læsiones morborum peritonitidem concomitantium, invenies, 1°. cerebrum et ejus membranas adulterata sæpiùs, tamen aliquoties sana, quamvìs vehementia fuerint arachnitis symptomata; 2°. pleuritidis aut pericarditis signa et gastritidis simul. Ventriculus si quandoquè nativum colorem retineat, sæpiùs rubris maculis distinguitur, pallido, viridi livîdoque colore induitur; hujus membrana mucosa densa, crassa, dura, quasi lardacea, et quidem ulcerata apparet. Aliorum morborum deniquè quos peritonitidem complicare diximus læsiones aderunt.

Causas, symptomata et finem peritonitidis agnovimus, nùm et ejus naturam? Fabricam et functiones peritonæi cùm ignoremus, impossibile videtur naturam hujus conjicere. Attamen cum permultis dicemus peritonitidem esse abdominis serosæ phlogosim in totâ vel

alicujus parte, curatu difficillimam cutisque depressione sæpissimè exortam.

Quanta sit peritonitidis gravitas, et quid de symptomatibus? In origine prognosticæ scientiæ medicus ea prævia noverat signa quibus hæmorrhagia nasi, sudores cutis et abundans bronchiarum expuitio nuntiabantur. Cum istis autem prænuntiis fabricabantur prognosis tractatus pictarum similes imaginum, quæ ejusdem utrosque familiæ parentes figurant unà, at nullius indolem separatim præbent. Hodiè, una cuique organo, una cuique morbo regula, et indè prognosis deducitur, 1°. ab auctis, vel minutis, vel cessatis symptomatibus; 2°. ab apparitu signorum quibus minuens, cessans vel sese aliàs extendens, et demùm lethalis morbus agnoscitur. Hìnc peritonitis periculosissimos inter morbos recensenda. Plerumquè dolor eodem loco pertinaciter inhærens cum vehementissimâ febre sævit, acutissimè pungit, et motus pectoris constringendo ægrum enecat. In acutâ, vomitus pessimi, si quidem sunt continui : singultus lethalis, qui post biduum vel triduum diem accidit. Peritonitis urinæ, bilis, etc., effusione producta certæ mortis signum. Hanc varietatem per triginta dies confirmatam vidit doctor *Fizeau*. In chronicâ peritonitide, quam plurimi insanabilem habent, eò infaustior erit prognosis quò gravior causa, morbus quò vetustior, abdominis intumescentia quò major, æger quò debilior, ætate provectior, viscera abdominis quò deteriora. Citatur mulier quæ punctiones 665 passa est. Fatalis surgit prognosis ex adynamicis aut atactis febribus peritonitidis sociis.

Igitur fugiendæ quælibet certò nocuerunt causæ tàm in nonnullis professionibus quàm per graviditatem et parturitum. Apud eos quorum corpora ad secretorias irritationes constituta sunt removenda quæque insalubris causa.

Ut appareat acuta, reprimenda peritonitis; hìc autem non ut in mucosarum morbis adsunt remedia. Indè noscimus quantùm sit de serosis sanandis parvula medicorum scientia, et quantùm peritonæo connecta organa studuisse opporteat. Tres sunt medendi peritonitidem rationes : 1°. stimulum expellendi, 2°. phlogosim debellandi,

3°. functiones peritonæi ad naturalem statum reducendi, et servatum vigilanti studio ægrum circumveniendi. Ad primam indicationem, æger à vestitûs pressione et ab interno motu viscerum necnon corporis agitatione tueatur. Silentium in verbis et in animo quies fiant, frequentior enim respiratio dolorem abdominis exacerbat. Aer cubiculi sit purus, temperatus sæpiùsque, cautè tamen, renovetur; lintei renovatio eâdem sub cautelâ fiat. Ad secundam indicationem, debilitantia æger excipiat remedia. Si peritonitis à principio in corpore robusto sine resolutionis spe vigeat, missio sanguinis larga in magno vase, per amplum vulnus illicò instituenda est, deìn eò crebriùs repetenda quò sæviora symptomata recrudescent, et quò nervosior erit æger, nàm nervorum dolor maximus cordis contractiones comprimit et coercet. Si morbus accrescat, podici si hæmorrhoïdalis fluxus suppressus fuerit, abdomini contrà applicandæ sunt hirudines; cucurbitulis abstinendum quæ dolorem augerent. Indè juvabunt potus et fomenta emollientia, balnea tepida liquoribus aut vaporibus composita. Glacie abstinendum cùm acuta sit peritonitis, et æger debilis. Excretiones, cùm appareant, eò ducendum quò natura vergit, ars quippe huic favere debet excretioni quam natura molitur. Proscribantur alimenta ut minuatur sanguis, utque impediantur intestinorum motus, et tensio necnon glandularum actio. Ad tertiam indicationem, modum organorum actionis et æquilibrium vitæ restituere si velimus, sanguinis ut suprà missio adhibeatur. Imò in capillaribus vasis agendum ut ipsa vasa fluidorum morbi refugium non fiant. Utilis erit igitur revulsio non in internis sed in externis partibus per frictiones, balnea, fomenta (cutem emolliendi vel laxandi causâ), vesicantia et rubefactoria in extremis. Cùm hæc autem ad eradicandum morbum non sufficiant, an sequentibus utendum? Diaphoretica, sudifica, narcotica, diuretica, antispasmodica, de quibus hìc agitur, rarò intùs gesta conveniunt, et amoveri contrà debent donec dolor extinguatur. Si à longo tempore alvus obstruatur, et clysmate emolliente non solvatur, oleum dulce et purgans tantummodò bonum : tunc etiam radix ipecacuanhæ, fractâ dosi, adhibenda parcâ manu, si præsertìm primæ viæ

colluvie inquinantur. Emeticus anceps et igniferum est remedium, quocum vitam jocatam haberemus. Eum tamen proclamaverunt efficacem *Doublet* et *Doulcet* in opere de puerperali peritonitide. Alia utilis hæc est revulsio quâ quiescat intellectus; nam cerebri excitatio, si mala, ad medium corporis vitales motus repellit.

In hæmorrhagicâ peritonitide medelâ eâdem ac in simpliciter acutâ promptè et pertinaciter utendum. Si peritonitis in suppurationem abeat, summa hinc oritur malorum cohors quæ ægrum vulgò in ruinam trahit : tunc sedulò abstinendum est, et maturantibus utendum, donec natura quò ducendum indicaverit. Factâ suppuratione, cùm extrorsùm non emineat tumore sectu accensibili, morbus vix medelam capit. Gangræna, cùm jàm stet, immedicabilis.

In peritonitide chronicâ simplici velut in acutâ sanguinis missio, hirudines, emollientia potus et fomenta, in extremis aut in abdomine revulsio, victus moderatus, alimenta vegetabilia, etc., adhibenda sunt. In ascite curationis indicationi satisfaciunt : I. antiphlogistica remedia diligenti cautione adhibita, phlebotomia et hirudines ; II. frictio, motus, calor foci, furni, arenæ, solis, salis, etc. ; III. maximè pertinax abstinentia à potu, victusque parùm humidus ; IV. tandem paracentesis, si causa hydropis recens, si vires integræ, corpus juvenile, si viscera sana, si aqua nondùm putrida neque diù in loco stagnaverit aut sacculis incarcerata fuerit. (Neonatorum ascites rara et ignota nùm paracentesi curari debet à principio? ad quid respondebimus affirmativè, si parturitionis aut vitæ impedimentum fiat, dubitativè si contrarium eveniat.) V. Si prædictæ conditiones abfuerint, instituta nova emissaria, setacea scilicet fonticuli, vesicatoria, cucurbitulæ, scarificationes in parte declivi. Hanc curationem ascitis morbo non accommodatam invalidamque accipientur medici, qui debilitatorum viscerum totiusve corporis labem tollere conantur juvantibus, roborantibus, vino, ferro et victu splendido, aut excitantibus diureticis, drasticis, vomitoriis fortibus, etc., sive hydropis causa, sive hujus effectus fuerit labes. Quàm longè stat ab istis ve-

ritas quam antiquo tempore perspicax *Horatius* proclamabat carminibus :

*Crescit indulgens sibi dirus hydrops,*
*Nec sitim pellit, nisi causa morbi*
*Fugerit venis, et aquosus albo*
*Corpore languor.*

(*Ad* Sallust., lib. 2.)

quamque firmabat reverendissimus et sagacissimus *Hippocrates*, dicens :

« Hydrope detento, si aqua per venas in ventrem confluxerit, morbus solvitur. » (*Sect.* 6, *aph.* 14.)

Quamvis hæc peritonitidis forma longævitatem non excludat, sæpiùs incurabilis est.

In quo tempore, quo in loco abdominis paracentesis adhibenda sit? Expectationis via aliquandò malefida esse potest, et ægrorum salutem extrà omnem aleam non ponit; in quibusdam casibus aliò paracentesis lethalis fuit.

Quæstio igitur sic resolvenda : vel hydrops recens, crescens, et nullum parit ægris incommodum; vel tumor abdominis auctu maximus ab origine antiquâ proximam ipsis mortem minatur propter pulmonum depressionem et suffocationem propinquissimam. Si primùm, inutilis et quidem metuenda paracentesis, quippe quæ eradicando morbo fit impar : si secundùm, tentanda est operatio ex quâ vita prorogari potest. Hujus operationis variæ sunt regulæ pro variis medicis. Anglicani umbilicum perforant; *Laennec* in medio abdominis exsecabat cum cultello; plerique demùm cum triquetro in latere aut in lineâ albâ abdomen pungunt; alii setaceam ponunt. Quemcumque processum miretis, cavete ne subita depletio abdominis syncopem adducat. Si lympha nimiùm crassa quàm quæ expelli queat, rationabile non est aliud tentare quàm specillum introducere. Neque similes sitis medicorum qui injecerunt liquores emollientes et quidem irritantes, ut suprà diximus. Compressio gradata à doctore *Récamier* celebrata fuit, et felix.

In peritonitide tuberculosâ, varia medela pro vario morbi periodo usurpari debet. Ineunte morbo, procul amotis alimentis pravæ indolis, si robustus æger, prosunt emollientia et antiphlogistica, sanguinis emissiones parvulæ et repetitæ. Oportet ægrum exerceri et recreari. Morbo autem crescente, de ægro conclamatum est; tunc ipsi potus emulcivi, maturi fructus, farinosa, lac cum ptisanâ mixtum, hilares placidique animi affectus, balnea tepida solatio esse debent. Nihil dicemus de remediis quibusdam, auro, emetico, mercurii protochlorureto, Anglicorum instar, etc., commendatis, quibus vis lymphatici systematis exsuscitaretur : nihil de pulvere puerperali medici *Boër*, de frictionibus cum mercurio, de balneis frigidis. Itaque super omnia adhibendum regimen, quod exemplo nobis dedit *Jenner*, qui in animalibus tubercula cum victu quodam nata, alium uniformem et continuum victum adhibendo curavit.

In curatione cujuscumque peritonitidis varietatis propugnandæ sunt complicationes, retropulsum exanthema vesicantibus, fonticulis, aliter sanguinis fluxus impeditus, aliter catarrhus et lochiæ, etc.

In extremis quædam remedia tentari possunt, cùm nihil indè possit emergere periculi, imò etiam quædam utilitatis spes affulgeat, juxtà vetus adagium : *Semper prodesse, nunquàm nocere.* Quæ si nulla sint remedia, expectet medicus; nam tempus ipsum morbo opem fert, nec agendo ipse moram instanti afferret indomitæque morti.

*Per annotationem.* Ex operibus doctorum *Gasc*, *Pinel*, *Capuron*, *Gardien*, *Baudelocque*, omnes medici qui essentialem puerperarum febrem admittunt, qui puerperii morbos lochiarum aut lactis suppressioni tribuunt, hi effectum pro causâ habent, ideòque turpiter illuduntur. Quandòquidem utraque lochiarum et lactis excretio sæpè illæsâ puerperarum sanitate supprimatur, solitum verò apud ægros plerumquè morem observet. Cùm eâdem causâ producatur, eodem symptomate stipetur mulierum peritonitis, eodem remedio ac præcedens impugnari debet.

Auctorum dicta recitans, hujus laboris mei periodos potiùs exemplis quàm verbis illustrare voluerim. Felix ego si temporis usuram cum dictionis veritate compensaverim! felicior si practicam theoriæ junxisse meritus fuerim!

*Citantur* HIPPOCRATIS *aphorismi ad peritonitidem accommodati.*

1. Acutorum morborum non omninò tutæ sunt prædictiones, neque mortis, neque sanitatis. (*Sect.* 2, *aph.* 19.)

2. Quibus tormina et circa umbilicum labores, atque lumborum dolor, qui neque medicamento purgante, neque aliter solvitur, in siccum hydropem firmatur. (*Sect.* 4 — 11.)

3. Ex quâ corporis parte calor inest aut frigus, ibi morbus est. (*Sect.* 4 — 39.)

4. Dolores et tumores ventris sublimes quidem, leviores; non sublimes verò, vehementiores. (*Sect.* 6 — 7.)

5. Si sanguis in cavitatem aliquam præter naturam effusus fuerit, ut in pus vertatur necesse est. (*Sect.* 6 — 20.)

6. Qui suppurati aut hydropici uruntur aut secantur, si pus aut aqua confertim effluxerit, omninò intereunt. (*Sect.* 6 — 27.)

7. Ex jecoris inflammatione singultus, ex vomitione singultus et oculi rubentes, malum. (*Sect.* 7 — 3 et 17.)

8. Quibus jecur aquâ plenum in omentum eruperit, iis venter aquâ impletur, et moriuntur. (*Sect.* 7 — 24.)

9. Hydropes quæ ex acutis morbis oriuntur, malæ; nam vehementes dolores excitant et lethales sunt. Quibus ex laterum inanitate

et lumbis initia hydropum ducuntur, longa eos alvi profluvia detinent, quæ neque dolores ex laterum inanitate ac lumbis tollunt, neque ventrem molliorem efficiunt. Quibus verò à jecore hydropes ortum ducunt, his etiam tussendi cupiditas accidit, et nihil effatu dignum exspuunt, ac venter intumescit, non nisi dura ægrèque egerit, et circa alvum tumores fiant, qui partim dextrâ, partim sinistrâ parte oriuntur et desinunt. (*Sect.* 2 — 1, 2, 3.)

10. Ad summos morbos summæ curationes diligentissimè adhibitæ optimè valent. (*Sect.* 1 — 6.)

11. In acutis affectionibus rarò, et per initia, purgantibus utendum, idque diligenti priùs adhibitâ cautione faciendum. (*Sect.* 1 — 24.)

FINIS.